

nationem, quam Imperatores ex singulari munificentia concedebant infringere praesumerit. Ex qua ratione interdum quoque poena violati banni regii ordinaria 60. solid. aggravata, ut docemur charta sequenti *LOTHARII SAXONIS* (g). *Quod Adelheida, sanctae conversationis mulier, Deum heredem sibi faciens, locum quendam Walckenriedt nominatum, qui sui juris erat, ob remedium animae suae & suorum divino cultui mancipavit. Nos itaque aeternorum non immemores - - non solum confirmamus, verum etiam - - contigua quaedam adjicientes, & Jus nostrum quod Wildbann dicitur, eidem loco permittentes, Regia nostra potestate amplificavimus & auximus, & per fidelem nostrum Christianum, & per Ministeriales regni nostri certo termino praedictum locum designavimus. Si quis autem quod absit, donum sive hanc traditionem refringere praesumerit, Regia potestate coactus auri purissimi centum libras componat, dimidium Camerae nostrae, & dimidium ipsi Ecclesiae &c. Praesumptio haec quemadmodum in medio aeo, actio injusta, invasio, usurpatio notante Du Fresne sub hac voce major aliis & propterea digna judicabatur, cui poena ordinaria gravior imponeretur. Denique si perpendamus ab OTTONE M. Abbatiam Emmeranensem accepisse (h) Helphindorff cum Foresto, & Forestariis atque venatione nec non & Regio Banno; extra omnem dubitationis aleam positum arbitramur, praeter Banna regia venationes Imperatoribus competiisse;*

---

C

---

quas-

(g) Apud Lunig Reichs-Archiv Spicileg. Eccl. 3. Theil  
Tit. Walckenried n. .1 p. 842. & 843.

(h) Diplom. apud Hund, Metropol. Salisb. T. II. p. 373.